

**1980**

**N**

**12**









PRORECTOR  
ACADEMIAE VITEMBERGENSIS,  
**GEORGIVS FRIDER.**  
**SCHROEERVS,**  
Log. et Metaphys. Prof. Publ.  
CIVIBVS ACADEMICIS  
S. P. D.





Rincipes Dei munere dari, coeloque  
demitte, pia et vetus sententia est,  
non modo sapientum argumen-  
tis, sed etiam divinioribus oraculis  
comprobata, et omnium gentium, omnisque  
memoriae hominum consensione, omnibus,  
quae fuerunt, seculis confirmata. Horum enim  
auspicio res magnae, vitaeque communi perne-  
cessariae geruntur, atque imperia et societas  
publicae legibus constituuntur, constitutae au-  
tem ab iniuria et interitu conservantur, adeo ut  
sine eorum auxilio omnis vita in metu et soli-  
itudine sit futura. Quos alii in Graccia et La-  
tio, aut in extremis terrarum regionibus quaer-  
rant: ego, si a patria discessero, oculis in vicini-  
am conversis, Principes commemorabo AN-  
HALTINOS, natalium gloria, et magnitudi-  
ne animi, et meritorum multitudine cum o-  
ptimis et antiquissimis Germaniae Principibus  
adaequandos. In his quidam libertatis pro-  
pugnatores, et religionis ac iustitiae vindices  
extiterunt: quidam ab armis ad pacis studia tra-  
ducti, a sole et pulvere Martio, in spatia et am-  
bulacula doctorum hominum diverterunt. Ex  
tanto Principum numero, nostra memoria elu-  
xit, et dignum maioribus animum suscepit.  
PRINCEPS generis, naturae, et industriae orna-  
mentis nulli superiorum, et proximorum gen-  
tis suae Principum secundus, Serenissimus PRIN-  
CEPS

CEPS

CEPS EMMANVEL LEBRECHTVS, ab incun.  
te aetate formatus ad virtutes maximas, quae  
in regali statura exsplenduerunt. Plenus reli-  
gione PRINCEPS religiosos homines amavit, e-  
ruditos honestavit, bonos complexus est, fidos  
in familiam adoptavit, et sapientes sibi perpetuos  
comites in consiliis et curiae negotiis ascivit.  
Tam paeclare existimavit de literarum studiis,  
praelertim cum aulae elegantia, et multo rerum  
usu coniunctis. Regnorum situm, mores, et  
instituta Regum, unus omnium diligentissime  
notavit Divus PRINCEPS, cum Belgium et Galli-  
am, finitimasque regiones peragraret, gloriae  
studio incitatus, maxime in illo aetatis flore,  
quo actiones suas in conspectu externorum Prin-  
cipum, et luce vitae collocare gestiebat. Multi  
regiones percurrunt, et versantur cum vulgo,  
sapientiamque in trivio quaerunt, nec verae lau-  
dis splendorem conseqvuntur. Sed in animo  
Divi PRINCIPIS altior vis infedit, famaque virtu-  
tum in omnes terrarum oras pervasit, cum sic  
dignitatis suae rationem haberet, ut magis de  
salute hominum sollicitus esset, magisque de glo-  
ria divini Numinis laboraret. Tanto maior  
Principibus aliis, quanto a voluptatibus remo-  
tior, modum cupiditati constituebat, divini au-  
tem cultus causa nullam curae partem praeter-  
mittebat, et coetui nostro sic indulgebat, ut ma-  
gno, et ad regalem gloriam accedente sumptu,  
tem.

templum aedificaret, in quo ritus nostri fierent,  
atque ex Lutheri formula peragerentur. Hoc  
argumento permotus, et aliis Principalibus be-  
neficiis adductus, Juvenis nobilissimus, et in sapi-  
cientiae liberaliumque artium studiis exercitatisimus,  
Scientiaeque salutari maxime deditus, ABRAAMVS  
VATER VS, Vitembergensis Saxo, summas Patris,  
dexterimi Archiatri, Doctorisque publici in coetu  
nostro celeberrimi, D. CHRISTIANI VATERI, A-  
vique vita et meritis sanctissimi, laudes, cursu rerum  
prospero, et successu omnibus numeris felici imitatu-  
rus, ac multum studii, atque opera ad hanc causam  
allaturus. Qui futuro die Iovis, quo Divo Principi iu-  
sta fient, ab hora ante meridiem IX. in templo arcis su-  
premium officium solvet, Principi, inquam, Serenissi-  
mo Coethanae propaginis Anhaltino, Comiti Alscaniae,  
Domino. Servaejæ et Bernburgi, ETC. ETC. ETC. Domino,  
cum in vivis esset, mihi patribusque Indulgentissimo,  
Clementissimoque. Proinde VATERO iuniori, oratione  
gravi et luculenta pietatem, quam suo nomine, etiam  
nobiscum debet, hora publice constituta, in solenni  
Patrum et Hosptium Civiumque corona more atque  
instituto lugubri declarabit. Adeste, quae sumus,  
Perillustres LIBERI BARONES, Generosissimi ac Nobis-  
sissimi omnium Ordinum Cives, et VATERUM nostrum,  
bene ornateque dicendi facultate praeditum, nec tan-  
tum verborum copia promptum, sed etiam ornamen-  
ta orationis et lumina, quoad per publicum fieri do-  
lorem potest, exhibiturum. Nos inter lacrymas, quas  
tenere non possumus, moeroris leniendi praefidium  
ab hoc etiam oratore expectamus, Divoque PRINCIPI,  
qui terrarum orbem Nominis fama, divinisque virtu-  
tibus implevit, praemium aeternitatis in coelo, et be-  
atarum mentium fede consecuto, ponimus monumen-  
tum, in ore et animis Patrum iuxta atque civium sem-  
per mansurum. P.P. Dominica XIV. TRINIT.  
Anno clo 15 CCIII.





80N12

ULB Halle  
005 302 617

3





**PRORECTOR**  
 ACADEMIAE VITEMBERGENSIS,  
**GEORGIVS FRIDER.**  
**SCHROEERVS,**  
 Log. et Metaphys. Prof. Publ.  
**CIVIBVS ACADEMICIS**  
 S. P. D.

